

1427 simo, si quis ab hoste fieret impetus, id munitionis genus habituræ. Hanc metandi rationem ille ingressus, quanquam oppida adhuc multa in Brixienſi agro erant, quæ Philippi præſidio tenebantur, ne iis recipiendis multum temporis abſumeretur, ſtatuit Carmaniola, illis poſt ſe relictis, Cremonam ſumma ope oppugnare: fore ratus, ut, urbe tam illuſtri Philippo adempta, loca quæ poſt ſe reliquiſſet, ſine alio maiore certamine eſſent in Veneto- rum fidem conceſſura. Jungitur Ollius amnis, qui Cremonenſem agrum a Brixienſi & Mantuano diſterminat, duobus munitiſſimis pontibus, ſuperiore uno, ac Bergomenſis agri collibus vicino; & ad imam planitiem altero, cui *Bina* eſt nomen. Hunc Venetus (quia brevior, & iccirco facilior ex Mantuano agro in caſtra, ſi ultra flumen translata eſſent, per eum curſus patuiſſet) ſumma ope oppugnare eſt adortus. Accedebat ad id Padi propinquitas, per quem minore ac ferme nullo labore periculo- ve omnia oppugnationi neceſſaria navibus ſubvehi pote- rant. Igitur paucis diebus ponte poſitus, copiisſque in ho- ſticum tranſmiſſis, ſeptem millia paſſuum a Cremona ſe- cundum Padi ripam caſtra locat. At Philippus, audita ho- ſtium multitudine (erant enim in Venetis caſtris ad duo- deviginti equitum millia, mercenariorum peditum octo, evocatorum, præter calones, lixas, & aliam imbellem turbam, circiter ſena millia, eratque non procul hinc Bembeja claſſis, quæ ſupra decem virorum millia habe- bat) motus tantis hoſtium conatibus, cæpit vehementer ſibi & ſuis rebus timere. Tum victa ejus pertinacia, Mediolanenſes ad ſe vocatos (quod nunquam antea ut faceret adduci potuit) *Veniſſe diem*, inquit, *quo aperte eſſet inſpecturus quos veros, quosque fictos ſimulatosque ad id tempus amicos habuiſſet: Nec ocium ſibi eſſe, in tanto rerum diſcrimine, quid ſibi opus ſit in præſentia, longiore ſermone explicare. Quicumque res ſuas ſalvas eſ- ſe vellent, ad tantum incendium reſtinguendum ſecum irent: neque omnium ſe operam ad id requirere, ſed eorum tantum, qui apti eſſent militare. Hæc eadem mandat*
per

*Ad Ollium
totis viri-
bus ancipi-
ti utrinque
 Marte dimi-
ſum.*